



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus XLIX. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

FASCICULUS XLIX.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 2. & 6. libri I. Paralipomenon, in quo describitur Index filiorum David, & fit repetita mentio petita aqua ex Cysterna Bethlehem. Zelus Azaria. Notandum autem Lectori: in his duobus libris tantum ex illis capitibus moralia seligi, quae praecedentia non tam fuse repetunt, ut alio faciunt.

Considera I. **E**T admirare Davidis verba, jam semel in praecedentibus in admirationem ducta, vñ quorum ipse cap. N. 326.
2. v. 17. hujus libri tam avidè desiderat aquam frigidam ex cisterna Bethlehem, dicens: *ò si quis mihi daret aquam de cisterna Bethlehem, qua est in porta! nunquid enim nullibi reperire erat aquas, sedandæ siti aptas? verùm admirationi nostræ & dubiæ quæstioni, morale responsum petenti, clarâ solutione occurrit Hugo Cardin. in Matth. 5. c. dicens: hæc est cisterna Bethlehem, cuius aquas desiderat verus David &c. verus David Christus est, nullas magis sitiens aquas, quàm quæ ex profunda contriti pectoris cisterna per oculorum vascula extrahuntur: quid enim in Domo Pharisæi accumbenti sitim sedaverat? nunquid pocula optimò phalernò impleta? quid quæso divinæ temperantiæ cum poculis? soli oculi amaris madentes lacrymâ hi sunt, qui sitim ejus restrinxere. Quando pœnitens, & ad pedes abjecta mulier cœpit lacrymâ rigare Christum, cœpit illicò salutis humanæ avidissima sitis compesci. Salvator noster Matth. 18. protestatur: nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis Regnum Cælorum. Sed quid aliud parvulorum est, quàm minante patre, virgas monstrante matre, nutrice lac negante ad lacrymas recurrere, ut iisdem emolliant iratos sibi. Pulcherrimè ad propositum nostrum asserit Petrus celsc. c. 12. de pane lug. demergit lacrima populum, Judicis intentata ira humili ausu flectit minas, vibratas evaginat acies, erecta jam resupinat supplicia. exundantes irrorat flammâs, persundit de silice aquas, emollit aspera, humectat arida, sterilia facunt.*

Kk k

fecundat, sordida lavat suscitatur emortua, reserat clausa, portas refringit Inferni. Quid plura? vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est vitiorum portusque naufragantium, filium Dei ad nos inclinat. Ad hunc fontem lacrymarum Adam confugit in exilio, Noë in diluvio, Populus in deserto, Ezechias in lecto, Job in sterquilino. Ad hanc cisternam contulit se David post adulterium, Petrus post negationem, latro post perpetratas cædes. Ad eandem & tu Christiane Lector confugas, ut Christo vero Davidi, tuam salutem avidissimè sitienti, acceptum deferas haustum, & quem tremendum aliquando perhorrescis Judicem, hõc liquore emollias.

N. 327. *Considera 2.* Quòd etsi Antecessores plurimos numeraverit Azarias, Sacerdotali Ministeriò sanctos in Templò, nullum tamen ex iis tam speciosò præconiò condecoraverit S. Scriptura, de illo solo asserens citatò cap. *Ipsè est, qui Sacerdotiò Dei sanctus est in Domo, quam edificavit Salomon in Jerusalem.* Videtur autem hoc Encomium ea de causa promeritus esse, quòd divinò instigatus zelò Oziam Regem sacerdotali officio se temerè intrudentem reprehendere non sit veritus. Ita plane veri Superioris & Sacerdotis nomen sine omine portat, qui humanò terretur respectu; ut taceat crimina Principum & plebis. Præviderat Christus Dominus: discipulos suos totò animò fore consternandos, si abitum suum eis intimaret, brevè instituendum; attamen talì respectu nequaquam motus, candidè dixit Joan. 16. *ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam.* Haud dubiè præoverat Joannes Baptista, Herodiana Aulæ furorem in se fore provocandum, si suò functurus officio argueret Herodem, sed isthòc motivò nequaquam absteritus exclamat: *non licet tibi habere uxorem fratris tui &c.* Quid aliud præmii locò sperare poterat S. Thomas Cantuariens. Episcopus, olim Angliæ Cancellarius, quàm carceres & tormenta, quin & mortem ipsam; si Regi, Ecclesiasticæ libertatis inimico, scelus rigidis exprobraret verbis? at nullò terrore regis Majestatis libertas sacerdotalis linguæ comprimi potuit, ut taceret, nullatenus tacenda. *Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle,* ait S. Greg. advers. mulieres se ambitiosè ornantes: *omnis enim, cui legum cura mandata est, metu vacare debet.* Christiane Superior, qui aliorum curam spiritualem suscepisti, ne aliquando exclamare cogaris; *va, mihi, quia tacui!* Isaie 6. *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntians credito tibi populo scelera eorum &c.* Satius utique est, disgratiam hominum, quàm aternæ salutis jacturam subire.

Doctri-

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 13. & 15. lib. 1. Paralip. in quibus describitur Davidis consultatio de Arca, convocatio totius Populi &c. Translatio Arce, portata à Levitis &c.

Considera 1. & admirare: Quòd David Arcam Dei decentiori loco N.318. illaturus, convocari jusserit omnes subditos: dicens cap. 13. *mittamus ad fratres nostros reliquos in universas Regiones, & reducamus Arcam Dei nostri ad nos.* Verùm admirationi occurrit Abulens. p. 6. in lib. 1. Paralip. asserens: *David idcirco omnes subditos convocavit, ut crederent, quòd ad omnes pertineat Deus.* Nempe tam communem vult Deus omni homini esse suam benevolentiam, ut nec ullus de infima sorte ansam habeat conquærendi: sibi non æquè ac Principi ad eum patere accessum. Quare *Lucem Mundi* se vocat Christus, innuens per hoc teste Hugone Cardin. *sum lux Mundi non Galilea tantùm, non Palastina, sed Mundi totius, illuminans scilicet Mundum luce natura, fortune, gratia & doctrina.* Confluxerat olim, ut refert S. Marcus c. 14. ingens turba, Salvatoris concioni interfutura. Quid tunc egit: ut ageret erga omnes parì affectu & effectu beneficium Doctorem? en! nulli auditorum obversurus tergum, relinquit terram, conscendit navem, & ex ea ad omnes à fronte positos dirigit Doctrinam suam. Quin imò vix natus evidentì argumentò docuit: quòd communi omnium bono sit natus; utpote non in Aula Cæsaris, aut Prætoris Palatio, quæ loca plebem ab ingressu arcere solent, sed in stabulo & quidem publicis usibus deputato nascitur. Nec tantis sature testimoniis etiam omnibus omnia factum se esse demonstrat, juxta effectum S. Ambrosii lib. 3. de virg. ante finem dicentis: *Christus est nobis omnia. Si vulnus curare desideras Medicus est. Si febris astuas, sors est: si gravaris iniquitate, Justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* Consonat Ambrosiò Chrysologus asserens Serm. 33. *tibi Rex, tibi Sacerdos, tibi pastor, tibi Sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factum est, qui sece- rat totum. Et qui sibi nunquam, toties tibi immutatur. Propter te varias mutatur in formas, qui manet unica Majestatis sue forma.*

Considera 2. Per Levitas Arcam Dei portantes, & in hoc negotio N.319. teste S. Scripturâ c. 15. adjutos à Deo, Christianos moraliter intelli-

gi, qui facilis negotio divinis obtemperant mandatis: eò quòd in ferendo legis onere adjutricem experiantur Dei manum. Quare Christus legem suam suave jugum appellat non tantum ea de causa, quòd gravissimò pondere legis Mosaicæ exonerata sit, sed quòd Christus fortissimâ gratiâ illis succurrat, qui lubentè animò huic legi colla submitunt. Hinc asserit S. August. lib. de Spirit. & Pat. c. 19. *Gratia data est, ut impleatur lex.* Canticorum 4. Sponsus trinâ vice advocat dilectam suam, dicens: *veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis.* Libanus iste Ecclesiæ militantis typus est, de quo per sedulam legis observantiam evocatur Sponsa, Christiana videlicet anima, ad Ecclesiam triumphantem ventura. Trinâ autem vice vocatur, quia à tota Trinitate vocatur; clamat enim Deus Pater *tibi.* Quod latinè sonat: *veni mecum,* aderit tibi mea Omnipotentia, vires tibi additura, si credis, te huic itineri imparem. *Veni mecum* clamat filius, Si defuerit tibi sapientia, aderit mea sapientia, quâ illustraberis: *intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, quâ gradieris &c.* Psal. 31. v. 8. *Veni mecum* clamat Spiritus Sanctus: ego igne amoris divini inflammabo pectus tuum, ut fervore conceptò non eas tantum in hac via, sed & salias, aut voles: nam amor addit alas. Quemadmodum ergo pondus etsi gravissimum, beneficiò plurimum rotularum unicò digitò tractum, altissima turrium conscendit sine labore: ita Lex Evangelica tot divinis adjuta auxiliis facillima redditur impletu. Quàm felicem igitur reputare te debes Christiane Lector, quòd ex tot millionibus hominum vocatus, Evangelico Jugo colla submitteris.

Doctrina 3.

Desumpta ex cap. 17. & 21. lib. 1. Paralipom. in quibus describitur Davidis mens de exstruendo Templo, Israëlitarum electio, initus Populi numerus rejectò illorum consiliò, qui contrarium Davidi suaserant, inde secuta Dei pœna.

N. 330. *Considera 1.* Quàm ingens sit gratia vocationis ad veram Fidem catholicam: de catholicis enim solis dicitur, quòd olim dictum de Hebrais cap. 17. v. 21. *Gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret Populum sibi &c.* Verum quantò major hæc ipsa

ipsa censetur, tantò gravior & damnabilior est eorum nequitia, qui vocationi suæ difformiter vivunt: adeò, ut meritò eis obrudat Apostolus Apocal. 3. v. 1. *nomen habes, quod vivas, & mortuus es &c* Substantiam sine accidentibus perire necesse est, ita fidem sine operibus. & sicut homo in optima navi positus, si nec vela explicet, quò ventum capiat, nec manus exserat, quâ remos ducat, & propellat navim, optatum non assequitur littus: ita qui verâ fide inabutus, virtutis opera negligit, æternæ Beatitudinis portum non obtinebit. *Quid faciendò? non quid tantùm credendò, vitam æternam possidebo?* quærit Salutis suæ cupidus adolescens Lucæ 10. atque hinc S. Petrus 2. c. 1. admonet: *satagite, ut per bona opera certam vocationem & electionem faciatis.* Cælum merces est, ergo illud emi oportet. Corona est; ergo præsupponit conflictum. Lucrum est; ergo pretium exigit. Terminus est; ergo viam obijcit transeundam. Non tantùm comparatur thesauro, qui merâ sorte quandoque reperitur, sed & *Margarita*, ad quam è profundo mari extrahendam requiritur labor. Non tantùm assimilatur *fonti hortorum*, qui sæpè beneficiò naturæ scaturit, sed & *puteo aquarum viventium* Cantic. 4. v. 15. *Quem* humanâ industriâ fodi necessum est. Etiam Dæmones dicuntur credere, & contremiscere, inde tamen salutem suam non assequuntur. Rectissimè igitur Fidem Catholicam S. Vincentius Ferrer. *Rachelem* nominat, quæ Christianum hominem mariti locò compellat, asserens: *Da mihi liberos*, id est bona opera, *alioquin moriar.* Genes. 30. pulcherrima sunt, quæ ad hoc propositum fusiori quidem, sed non minùs gratò calamò scribit S. Chrysoft. Serm. 23. ad Popul. *fidelem non ex solo munere Dei, sed ex novitate vita videre oportet: honoris enim magnitudo pro honoris Dignitate vivere nolentibus, fit major supplicii accessio. Fidelem igitur non tantùm ex his, qua ipse præstat, par est essulgere, & ex omnibus esse partibus manifestum: ex incessu, ex aspectu & ex voce. Non ad ostentationem, sed ad videntium utilitatem. Nunc autem unde te queam agnoscere? nam sive à loco te discere voluero? in theatris & in locis iniquis commorantem te intueor, in malignantium consiliis, in foro & in conventiculis hominum perditorum. Sive ab aspectus forma? video, te cachinnantem, & dissolutum. Sive à vestitu? cerno te, nihilomeliùs compositum à versantibus in scena. Sive à sociis? video, te mundanis & peccatoribus stipatum. Sive à verbis? nihil sanum aut necessarium aut vite nostræ conferens loquentem audio. Sive in mensa? & hic major apparebit accusatio. Unde igitur te potero fidelem agnoscere? &c. hæc verba bene ponderes Christiane Lector; annon & te quoque tangant?*

N.331. *Considera 2.* Quid mali evenire soleat illis, qui bonis aliorum consiliis non acquiescunt, suæ tantum rationis ductum sequentes. David enim, etsi virorum prudentissimus, pessimè tamen erravit, dum rejectò Ministrorum suorum consiliò cap. 27. numerari voluit subditos suos: quare peccati sui ultorem illico sensit Deum, horrendâ peste subditos ejus affligentem. Sicut homini ignota loca peragranti nil magis necessarium, quàm Ducem itineris peritum sequi; ita cum ob naturæ per peccatum corruptæ statum virtutis tramitem & veræ sapientiæ semitam ignoremus, aliorum consiliis & auxiliis obsequi oportet. Ingeniosa est illa de hirundine fabula. Hæc avis cum semel iterumque alias monuisset volucres, ut semina lini eruerent, hoc verò consilium surda aure acciperent omnes, illa quanto citius in urbes & oppida sese contulit, ibidem moratura. Cæteris deinde avibus subsidiò lini captis strenuè illudit, tuta suo in tecto sedens. Quare ò Christiane! ne tartareus auceps frequenter te per illecebras capiat, prudentiùm & piorum virorum consiliis utere: divinò probata Oraculò res est Proverb. 15. *dissipari cogitationes, ubi non est consilium.* & eruditè admodum S. Greg. Nissen. cap. 3. de Opif. humil. ait: ò rem admirabilem? sol creatur nullâ deliberatione precedente, eodemque pacto Cœlum, quibus duobus nihil potest esse par in rebus creatis. Ad solius hominis formationem Creator ille rerum quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit velut Instrumentum quoddam, Regno administrando idoneum, quasi diceret: *creatus est homo, ut cum consilio gubernet, & ex sui molitione disceret, quò pacto & ipse reliqua moliretur &c.*

Doctrina 4.


Desumpta ex cap. 22. & 28. lib. 1. Paralipom. in quibus describitur Davidi zelus in preparandis ad Fabricam Templi expensis, Ejus Oratio ad Proceres de ornatu Templi & Vasorum &c.

N.332. *Considera 1.* **C**hristianos Voluntariæ Paupertatis amatores iisdem verbis uti posse, in Spirituali sensu acceptis, qualibus usus fuerat Rex David cit. cap. 22. v. 14. asserens: *ecce! ego in Paupertate mea preparavi impensas Domûs Domini.* Enim verò si ad Spirituale Adificium, divinæ Majestati erigendum, se instar Impensarum habent varia-
rum

rum virtutum actus, utique eò ditior quis erit, quò fuerit, virtuosior? Angelus in Apocalypsi scribens, calamum suum in hæc verba acuit c. 2. v. 9. *scio Paupertatem tuam, sed dives es.* In quem locum Hugo Cardin. ait: *dives es, scilicet divitiis spiritualibus: credo Paupertate Magistrâ obtentis.* Et hinc Eccles. homines quosdam vocat *divites in virtute*, atque Apostolus de primis Christianis, qui nil majori in pretio quam voluntariam paupertatem cum aliis virtutibus habuere, dicit 2. Corinth. 6. *sicut egentes, multos autem locupletantes.* Maria Virgo, quæ per profundissimam humilitatem fundamentum in se jecerat præstantissimo Templo Dei, illud mediante maximâ paupertate eum impensis confecit, apud S. Brigittam testata lib. 1. revelat c. 10. *omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi victum tenuem, & vestitum reservavi. Nulla mihi nisi Deus placuerunt &c.* Christiane Lector cum Davide non tantum de materiali, sed etiam Spirituali Templi ædificio sollicitus, collige sumptus in Voluntaria Paupertate, id est: non coacervandò Bona, sed relinquendò, si quæ habes, ut te admonet Beda noster in Lucam scribens. Nec satis est ea relinquere corpore, si retineantur mente, dum Christus Spiritu pauperes, ut alibi jam memini, petit. Non reliquit omnia teste Senecâ de paupert. *Qui retinuit seipsam.* Imò verò, subjungit noster Petrus Dam. de S. P. Benedicto, *nil prodest sine se ipso cetera reliquisse.*

Considera 2. Si singula Ministerii Sacri vasa necesse fuerit confici N. 333. ex auro, puritatis symbolo, ut loquitur S. Scriptura cap. 28. quanta requiratur puritas in vasis illis, quæ non ad quodvis obvium & leve Templi Ministerium, sed ad tractandum, & recipiendum ipsius Domini corpus & sanguinem ordinata sunt. *Quâ igitur non oportet mundiciorem esse eum, qui hoc Sacrificiò participatus est?* exclamat S. Chrysostomus homil. 83. in Matth. *quos radios non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem pertractat? os, quod igne impletur Spirituali? lingua, quæ cruentatur admirabili sanguine?* in primitiva Ecclesia teste Pædag. Christ. c. 1. §. 3. Diaconus Communionem Populo præbiturus, altâ voce clamare consueverat: *Sancta Sanctis. Si quis non sit Sanctus, Sacramentum non accedat.* Ipsi etiam Angelis purissimis Spiritibus imperatur Genes. 18. ut accepturi figuram panis Eucharistici lavent pedes: quanta igitur cura lavandus homo, non figuram, sed figuratum ipsum sumpturus? Christus Dominus in montem Thabor discipulos suos ducturus, non lavit pedes eorum, sed ducturus eos ad mensam corporis & sanguinis, ut
per

per hoc doceat teste Sylveria hîc q. 26. majorem requiri puritatem in eo, qui accedit ad fumendum corpus Christi, quàm ad spectandam ejus gloriam. Curiosè forsan inquireret nonnullus, cur inter homines in morte discumbentes, viri tantum censeantur ab Evangelista? nam Joannes ait: *discubuerunt viri quasi quinque millia.* Matthæus expressè excipit mulieres & parvulos. Responsum in promptu est, si consideremus, mulieres & parvulos à natura delicatulos, omne illud refugere, quod rigidum est, & naturæ vim infert, à Christo tamen requiritur ad obsterendas animæ maculas. Prout illud testatur S. Cyprian. Serm. de lapsu asserens; *quàm magna deliquimus, tam granditer desiteamus, alto vulnere diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit.* Virum se non mulierem probavit S. Margarita Virgo Regis Hungarorum filia, quæ pridè Communionis jejuna in pane & aqua solebat, totaque nocte in oratione pernoctare. Pudeat Christiane Lector, te virum, virili in pœnitentia à fœmina vinci.



FASCICULUS L.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. & 2. lib. 2. Paralipom. in quibus describitur Salomoni collata Divitia, Sapientia & Gloria. Pactum ejus cum Hiram de Lignis & Operariis.

IV.334. Considera I. **S**Alomonem etsi teste S. Scripturâ cap. 1. Divitias, Substantiam & Gloriam acceperit adeò copiosam: ut nullus in Regibus nec ante nec post ei fuerit similis. Nihilominus tamen coactum esse fateri Eccles. 2. *vidi in omnibus vanitatem & nihil &c.* atque hinc illò etiamnum tempore, quò talibus fortunæ Mundique Bonis fruebatur, exclamare auditus est: *ego Ecclesiastes sui Rex in Jerusalem.* Utens tempore præteritò præsentis locò, quasi illud ipsum esse Divitiarum, Honorum & Voluptatum, quò tunc actu fruebatur, adeò